



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Statua decessorum servare justitia suadet. injuriàmque sibi facit Rom. Pontifex, si fratrum jura perturbet, è Gregorio Magno. Ideo pastor effectus, ut canones & leges non excedat, è Leone IV. In ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

Gelas. ad Episc.
Lucan. cap. xi.

paternas regulas retineat, in epistola ad Episcopos Lucanæ: Cum, inquit, nobis contra salutarium reverentiam regularum cupiamus temerè nihil licere, & cum sedes apostolica superior his omnibus, favente Domino, que paternis sunt canonibus prefixa, pio devotioque studeat tenere proposito, satis indignum est quemquam vel Pontificum vel ordinum subsequentium hanc observantiam refutare quam B. Petri sedem & sequi videat & docere; satisque conveniens sit ut totum corpus Ecclesie in hac sibi observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, ubi Dominus totius Ecclesie posuit principatum. Hic non dissimulanda videtur antiqua lectio hujus loci, quæ extat apud Hincmarum in opusculo & in epistola Caroli ad Hadrianum, ubi autem totum superior his omnibus legitur, super his omnibus, id est, super his capitibus. Idem Gelasius in epistola ad Episcopos Dardaniæ: Confidimus quod nullus jam veraciter Christianus ignoret, uniuscujusque synodi constitutum, quod universalis Ecclesia probavit assensus, nullam magis exequi sedem præ ceteris oportere quam primam, que unamquamque synodum & sua auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit. Primæ sedis præcipuam canonum executionem vindicat, sed eorum canonum qui jam recepti sunt, & quos universalis Ecclesia probavit assensus. Non omitendus est locus ejusdem Gelasii: qui de privilegiis universalis Ecclesie cum loquitur, ad Ecclesie Gallicanæ privilegia, quæ illis accedunt, trahi non ineleganter potest: Sedes apostolica, inquit, quæ privilegiis universalis Ecclesie contraria probantur, nulla ratione sustinet.

Hincmarus in
Opus. c. 10. &
in ep. Caroli ad
Hadri.

Gelasius initio
Tom. de Anastasia
te.

III. Non solum autem de canonibus custodiendis solliciti fuerunt Pontifices Romani, sed etiam de constitutis decessorum suorum; etsi ex vulgata juris regula par in parem non habeat imperium, & successori par auctoritas comperat cum decessore. Vnde colligere licet nihil referre ad canonum custodiam an Summus Pontifex sit superior Concilio. Elegans est Symmachi locus in epistola ad Æonium Arelatensem Episcopum, qui docet decreta decessorum non esse violanda, quod unum sit Pontificum sacerdotium, quod ex sui natura decreta perpetua sint, quod religio illis infractis violetur, & in Pontificum contemptum redundet. Dum ad Trinitatis instar, cui una est atque indivisa potestas, unum sit per diversos antistes sacerdotium, quomodo priorum statuta à sequentibus convenit violari? Huc accedit, quod si hæc eveniat sententiarum varietas, ad ipsam sacrosanctam credimus religionem pertinere; cujus omnis potestas infringitur, nisi

universa que à Domini Sacerdotibus semel statuuntur, perpetua sint. Quod alias contingere poterit, si successor decessoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ gesta sunt, faciat rata quæ gesserit. Quanta enim vicarius B. Petri judicabitur reverentia, si que in sacerdotio præcipiunt, eisdem transseuntibus dissolvantur? Sed prætermittenda non est Hincmari adnotatio; qui locum istum cum produxisset in epistola Caroli Calvi ad Hadrianum II. de justis Decretis, & quæ à Vicariis B. Petri ex ejus Apostoli æquitate proferuntur, intelligendum esse Symmachum observavit his verbis: *Universa, inquit (scilicet Symmachus), perpetua sint que à Domini Sacerdotibus statuuntur: qui, ut Moyses, ea que statuunt, ab oraculo divino suscipiunt; non que ab his statuuntur, de quibus per Prophetam dicitur, Væ his qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt. Ea nihilominus que à Vicariis B. Petri constituuntur, maneat inconcussa. Quia, ut Leo dicit, nec nimia est severitas, vel remissio, ubi nihil constituitur, nisi quod ex B. Petri aequitate proferatur. Hac enim scimus esse canonicè, scimus esse apostolicè auctoritate roborata, & apostolicæ sedis decreta.*

Cruciat. C. 10. q. 1.
ep. ad Hadri.
11.

IV. Gregorius Magnus idem cum Symmacho profertur: *Iustitia, inquit, ac rationis ordo suadet ut qui sua à successoribus desiderant mandata servari, decessoris sui proculdubio voluntatem & statuta custodiant.* Eodem sensu ad Natalem Salonitanum: *Quod dicitis nostris temporibus debere servari que à meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt; ab his hæc à me, ut statuta majorum sacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam; quia mihi injuriam facio, si fratrum jura perturbo.*

Greg. I. c. 10. q. 1.
apud Gratianum
in 10. q. 1.

Non deservit à sententia decessorum Leo IV. cujus hæc verba referuntur apud Gratianum: *Ideo permittente Domino pastores hominum sumus effecti, ut quod patres nostri, sive in sanctis canonibus, sive in mundanis affixere legibus, excedere minimè debeamus. Contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si quod ipsi divino instituerunt consulto, intactum non conservamus.*

Apud Gratianum
in 10. q. 1.

Necessitas illa servandorum canonum, solennibus Romanorum Pontificum professionibus sanciebatur, quas tempore inaugurationis suæ edebant. Earum exempla pleraque extant in Annalibus Ecclesiasticis, quarum fragmentum Ivo retulit in Decreto. Iis profitentur Pontifices, omnia Decreta canonica prædecessorum suorum Pontificum, que vel synodaliter statuerunt, & que probata sunt, confirmare, & indiminuta conservare, & sicut ab eis statuta sunt, in sui vigoris stabilitate custodire. Extat etiam apud Gratianum formula

Videtur in
Tom. 7. c. 10.
Ivo Decret. p. 4.
& ep. 60. W. 10.
Summus Pontifex, antequam
consecratus
gratias agere
pro Romanæ
Ecclesie & universæ
Christianitatis
sanctorum
patrum
statutis
et
decretis
quæ
in
Ecclesia
Romana
et
in
universa
Christianitate
servanda
sunt.

formula illius professionis, qua Pontifex pollicetur octo Concilia usque ad unum apicem se servaturum, & quae statuerunt, & praedicaverunt, omnibus modis sequi. Quod & fidei definitiones & canonum statuta complectitur.

Possent per singula secula prolixis testimoniorum recitationibus decurrere, quae Canonum, Decretorum, & veterarum consuetudinum custodiam Romanis Pontificibus summo studio commendant, nisi lectoris taedio parcere vellem. Multa congestis Gratianus in Decretum suum, quae docere possint Gallicanam Ecclesiam, cum ad veteres receptosque mores provocat, non obliteratis monumentis niti, sed iis quae quotidie in scholis praeguntur.

V. Attamen egregium Concilij Florentini locum praetermittere non debeo, petium è Decreto Unionis Graecorum Ecclesiarum cum Romana, quo summa Pontificis auctoritas, & canonum observatio, simul vindicantur. Vnde patebit, injustam esse adversus Ecclesiam Gallicanam expostulationem eorum qui principatum sedis apostolicae laedi existimant, cum novis rescriptis antiqua jura opponuntur. Sed ante omnia, rei gesta ordo pandendus est. Cum in unam sententiam Graeci cum nostris de processione sancti Spiritus ex Patre & Filio tanquam ex unico principio convenissent, disceptatum est de Purgatorio, de Azymo, de formula consecrationis Eucharistiae, & de primatu Papae. Eugenius coram Imperatore Graeco, & ejus Metropolitanis, primatus jura per Joannem de Montenegro Provincialem Fratrum Praedicatorum explicari curavit. Tum collatione habita, Graeci scripto sententiam suam ediderunt, confitentes Papam esse Summum Pontificem, Vicarium Christi, omnium Christianorum pastorem & magistrum, cum jure administrandae Ecclesiae Dei, salvis privilegiis & juribus Patriarcharum Orientis.

Cum describeretur Decretum unionis, Palaeologus Imperator noluit illud solo Eugenij nomine concipi, addi postulans, id consensu suo & Patriarcharum factum, quod obtinuit statim. Diutius contendendum fuit de reliquis verbis Decreti, quae privilegia Papae tribuebant, ut habeat illa juxta determinationem sacrae Scripturae & dicta sanctorum. Effusa nimis esse dicebat Princeps verba illa, quae Papae privilegia ad dicta sanctorum referebant. An si quis sanctorum, inquit, in epistola honorat Papam, excipiet hoc pro privilegio? Itaque significavit Eugenio, aut verba illa delenda, aut sibi de reditu cogitandum. Tractatu habito cum

Cardinalibus, qui se non aliunde melius primatum asserere posse dicebant quam ex scriptis sanctorum, Imperator respondit, non secundum dicta sanctorum, sed juxta tenorem canonum, primatum esse explicandum. Altera die Cardinales, Archiepiscopi, & quamplurimi docti viri adeunt Imperatorem & Orientales Episcopos, quibus Iulianus Cardinalis persuadere conatus est ut admitterent clausulam illam controversam, praesertim cum fidei symbolum & ipsi canones à sanctis editi fuerint, proinde æquum non esse ut propter dicta sanctorum, Dei opus, id est, Unio Ecclesiarum impediat. Imperator collocutus cum Episcoporum suorum consilio respondit habenda esse à Papa sua privilegia juxta canones & dicta sanctorum, sacramque Scripturam, & Acta synodorum. Quae scripto tradita sunt Cardinalibus, qui Eugenio omnia se relatores sponderunt, & postridie Decretum Unionis relectum est Graecis, ea verborum formula quae illis grata fuit, descriptumque in charta Latina, & ex adverso Graeco, hinc bulla plumbea Papae appensa, inde chrysobullo Palaeologi Imperatoris. Quare eadem sententia contineri debet in contextu Latino, quae est in contextu Graeco. Item definimus, inquit Concilium juxta Graecorum verborum significationem, sanctam apostolicam sedem & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, & ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quem ad modum & in Gestis Oecumenicorum Conciliorum & in sacris Canonibus continetur. Sententia hujus Decreti haec est, summam & plenam administrandae Ecclesiae potestatem à Christo fuisse Pontifici traditam, ea lege, ut ea utatur juxta modum qui & in Actis Conciliorum Oecumenicorum & in Canonibus continetur. Itaque Graeci obtinuerunt quod tantopere urgebant, scilicet privilegia Papae secundum Canonum praescriptum esse interpretanda. Eadem esse debet mens verborum Latinorum, quae tamen à contextu Graeco desciscunt, propter levem quod incuria amanuensium irrepserit in his verbis, Quem ad modum & in Gestis Conciliorum. Nam Latina lectio praefert, Quemadmodum etiam in Gestis. Qui error primam Concilij hujus è Graeco in Latinum versi editionem invasit. Ejus versionis auctor est Bartholomaeus Abramus Cretensis,

Y

Vide Graec. 20. & 31. nota.

rola Celsi ad Hades.

g. l. c. n. d. i. Concilij hujus.

Concil. Florent. lib. 21.

de Graec. 11. q. 2. hujus.

lib. 21. q. 2. hujus.

de Graec. 11. q. 2. hujus.

lib. 21. q. 2. hujus.

ὁ πᾶς ὁ Χρὸς Πάπας τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ὅτι οὗτος ἐστὶν ὁ ἀληθὴς καὶ ὁ μόνος κύριος, ὁ θεὸς καὶ ὁ σωτὴρ, ὁ ἐκκλησίας ὁδηγῶν, ὁ ἡμᾶς ἀγαθῶν ἐκτρέφον, ὁ τῶν κακῶν ἐκκαθαρίζων, ὁ ἡμᾶς ἐκ τῆς οὐρανίου βασιλείας ἐκκαταλαμβάνον, ὁ ἡμᾶς ἐκ τῆς οὐρανίου ἰατρικῆς ἐκκαταλαμβάνον, ὁ ἡμᾶς ἐκ τῆς οὐρανίου ἀποκαταστάσεως ἐκκαταλαμβάνον, ὁ ἡμᾶς ἐκ τῆς οὐρανίου ἀποκαταστάσεως ἐκκαταλαμβάνον, ὁ ἡμᾶς ἐκ τῆς οὐρανίου ἀποκαταστάσεως ἐκκαταλαμβάνον, ὁ ἡμᾶς ἐκ τῆς οὐρανίου ἀποκαταστάσεως ἐκκαταλαμβάνον.

Vide secundum Praefationem Matæ c. 8. 7.